



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes
Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm XXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

DECRETVM XXIII.

ET, ne quemquam vestrum Declaratio Cardinalium super interpretatione Bullæ Gregorii XV, quæ incipit, *Inferutabili*, quam hoc anno ex Vrbe Roma percepimus, latere possit; eandem simili modo promulgamus, ac ab omnibus, quorum interest, observari mandamus; ut sequitur.

EMINENTISSIMI ET R^{mi} DOMINI,

D. Franciscus Guilielmus, Episcopus Ratisbonensis, devotus Eminentiarum Vestrarum Orator, in Synodo diocesana Ratisbonensi pro felici gregis, curæ suæ commissi, gubernio, inter diversas alias Constitutiones Apostolicas, Bullam fel. record. GREGORII XV, quæ incipit, *Inferutabili*, publicari fecit. Cum autem ab aliquibus asseratur, Intentionem Conditoris fuisse, ut obligaret tantum in Italia, adeoque locum non habere in partibus ultramontanis, & non obligare Fratres Conventuales Ord. S. Francisci, quoad Sorores, Clarissas nuncupatas, & alias S. Francisci Religiosas; D. Franciscus Guilielmus supplicat Eminentiis Vestris, quatenus, ad omnem controversiæ materiam tollendam, declarare dignentur, utrum dicta Constitutio obliget vel non in Germania, etiam Conventuales, quoad Clarissas, & alias S. Francisci Religiosas.

Die 27 Maji 1653, Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium, Concilii Trident. Interpretum, consult, Constitutionem GREGORII XV, de Exemplorum privilegiis, locum habere in Germania, & ubique, tam respectu Ordinis S. Francisci, quam respectu quorumcunque aliorum Ordinum.

PETRVS ALOYSIVS CARDINALIS
CARAFA, PRÆFECTVS.

Locus Sigilli.

Gratis, etiam quoad Scripturam.

DECRETVM XXIV.

Coronam clericalem, quæ à paucis Sacerdotibus hodie dum gestatur, singuli, juxta diversitatem Ordinum, majorem & minorem portent; ita tamen, ut corona Sacerdotalis Dalerum ad minus in figura circulari adæquet.

DECRETVM XXV.

Qvandoquidem plurimi in Diocesi hac Nostra, impedimentorum Matrimonii, tum dirimentium tum impedientium, ignari, sæpissime sibi invicem matrimonium promittunt; ac postmodum, re non amplius integra, ad Nos aut Officiatos Nostros pro salutari dispensationis remedio recurrunt: hinc omnes ac singuli Pastores, suos subditos, gradus consanguinitatis & affinitatis, intra quos contrahere liceat, pro concione edoceant.

Cæterum, licet corpore absentes simus, in spiritu tamen charitatis & Episcopalis sollicitudinis vobis præsentem, omnes vos hortamur, & in Domino nostro Iesu Christo rogamus, ut, quemadmodum accepistis nunc, & antehac à Nostriſ Prædecessoribus, in via Divinorum mandatorum ita strenue ambuletis, ut abundetis, & magis placeatis Deo, cujus est hæc & Nostra voluntas; eritque sanctificatio vestra; ut, cum, Deo volente, ad vos in pace reversi fuerimus, minus inveniamus quod corrigere, emendare, vel punire debeamus. Quod sincere facientes, Nobis magnam occasionem & causam lætandi, ac pro Nobis in Domino gloriandi, dabit; ac simul propriæ animarum vestrarum saluti prudenter & fructuose consulatis. Cæterum benedictionem Nostram Episcopalem vobis impertientes, &c. Dabamus in Residentia Nostra Ratisbonæ; ac, in omnium fidem, manu Nostrâ hæc subscripsimus, & sigillo Nostrâ ad id consueto communiri ea fecimus.

Locus Sigilli.

FRANCISCVS GVILIELMVS.

His peractis, palam prælectæ fuerunt literæ Pastorales sequentes, quas Illustrissima Sua Celsitudo Ratisbonæ ad Clerum suum Osna-brugensem transmisit.

L I T E -